De legatis & fideicommiſſis.

13. Idem A. Joanni PF. P.

CUm quis legatum, vel fideicommiſſum, utpote ſibi relictum exigeret, & teſtamento forte non apparente pro eo ſacramentum ei ab herede delatum eſſet, & is religionem ſuam præſtaſſet, affirmans ſibi legatum, vel fideicommiſſum derelictum eſſe, & ex hujusmodi teſtamento id, quod petebat, conſecutus eſſet; poſtea autem manifeſtum eſſet factum, nihil ei penitus fuiſſe derelictum [1]: apud antiquos quærebatur, utrum jusjurando ſtandum eſſet, an reſtituere deberet, quod accepiſſet: vel, ſi re vera ei derelictum fuiſſet legatum, vel fideicommiſſum, an daremus licentiam heredi Falcidiam, ſi competat, ex hoc retinere. Nobis itaque melius viſum eſt, repeti [2] ab eo legatum, vel fideicommiſſum, nullumque ex hujusmodi perjurio lucrum ei accedere: ſed ſi verum fuerit inventum: quartæ detentionem introduci, ſi tamen locum habeat: ne cui ex delicto [3] impium ſibi lucrum [afferre] noſtris legibus concedatur. Dat. 15. Kal. Novemb. *Conſtantinop.* poſt conſulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. 532.

TIT. II.
SI CERTUM PETATUR [4].

De Ære alieno hereditario.

1. Impp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Modeſtino.

NEque æquum, neque uſitatum rem deſideras; ut æs alienum patris tui non [5] pro portionibus hereditariis exolvatis tu & frater coheres tuus, ſed pro æſtimatione rerum prælegatarum [6]: cum ſit explorati juris, hereditaria onera ad [7] ſcriptos heredes pro [8] portionibus hereditariis, non pro modo emolumenti pertinere. Quod tu ipſe ignorare videris: cum creditoribus ſecundum formam [veteris [9]] juris pro portione tua caveris. Dat. Kal. Jul. CHILONE & LIBONE CONSS. 205.

De eo, qui nummos alienos credidit, & ſtipulatus eſt.

2. Imp. ANTONINUS A. Hermogeni.

QUamvis pecuniam tuam [10] Aſclepiades ſuo nomine crediderit: ſtipulando tamen, ſibi [11] jus obligationis quæſivit: quam pecuniam ut poſſis petere, mandatis tibi ab eo actionibus conſequeris. PP. 7. Kal. Maji, MESSALA & SABINO CONSS. 215.

De bis, qui officia adminiſtrant.

3. Imp. GORDIANUS A. Sempronio.

EOs [12], qui officia adminiſtrant, neque per ſe, neque per ſuppoſitas perſonas, tempore officii ſui in provincia fœnus [13] agitare poſſe, ſæpe reſcriptum eſt. PP. 8. Kal. Septemb. GORDIANO A. & AVIOLA CONSS. 240.

De pecunia abſentis nomine ejus credita.

4. Impp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS Cæſ. Maximo.

SI abſentis pecuniam, nomine ejus ſponte credidiſti, ac reprobato nomine [14], mandatis actionibus experiris, præſes provinciæ juriſdictionem ſuam præbebit. §. 1. Idem ſi ceſſare mandatum animadverterit, utilem tibi adverſus debitorem actionem eo nomine competere non negabit [15]. Propoſ. 15. Kal. Mart. PRÆSENTE & ALBINO CONSS. 247.

De inſtrumento.

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Ariſtodemo & Proculo.

SI non ſinguli [16] in [17] ſolidum accepta mutua quantitate, vel ſtipulanti creditori ſponte vos obligaſtis (licet uni [18] numerata ſit pecunia) vel interceſſionis nomine hanc pro reo ſuſcepiſtis obligationem: fruſtra veremini, ne ejus pecuniæ nomine vos convenire poſſit, quam alii mutuo dedit, ſi intra præſtitutum [19] tempus rei geſtæ quæſtionem detuliſtis. † Ac multo magis inanem timorem geritis, ſi [20] pecunia numerata, *oleum ſuſceptum* inſtrumento ſit collatum: cum, ſi *reddendi* ſtipulatio nulla ſubjecta eſt, & hujus rei eſt habita ſolennis conteſtatio, in ſuo ſtatu remanente eo, quod vere factum interceſſit, ex ea accepti ſcriptura nihil deberi manifeſtum eſt. S. 5. Non. Maji, AA. CONSS. 293.

De novatione, de inſtrumento ſimulato, de uſuris.

6. Iidem AA. & CC. Nicandro.

SI ex pretio [21] debitæ quantitatis, facta novatione, per ſtipulationem uſuras licitas ab eo contra quem ſupplicas, ſtipulatus es: falſa [22] mutuo datæ quantitatis demonſtratio præmiſſa, cum obligationis ſubſtantia non defecerit, quominus uſque ad modum placitum uſuræ poſſint exigi, nihil nocet. †. Si vero, citra vinculum ſtipulationis tantum mutuam pecuniam datam conſcriptum eſt, & ejus præſtari ſine uſuris convenit: ſimulatis pro infectis habitis, hujusmodi placitum nihil de præcedenti mutavit obligatione. S. 15. Kal. Decemb. AA. CONSS. 293.

De origine pecuniæ creditæ, de perſona cujus nomine creditum eſt ſpectanda.

7. Iidem AA. & CC. Pactumeio.

NOn unde [23] originem pecunia, quæ mutuo datur, habeat; ſed qui contraxit, ſi ut propriam numeravit; in hujusmodi obligationibus requiritur. S. 5. Non. Oct. *Sirmii*, AA. CONSS. 293.

De re æſtimata data mutui cauſa, de ſtipulatione uſuræ illegitimæ, de pignore non idoneo.

8. Iidem AA. & CC. Proculo.

SI pro [24] mutua pecunia quam a creditore poſcebas, argentum, vel jumentum, vel alias ſpecies utriusque conſenſu æſtimatas [25] accepiſti, dato auro pignori, licet ultra uſuram centeſimam uſuras ſtipulanti ſpopondiſti: tamen [26] ſors, quæ æſtimatione placito partium definita eſt, & uſurarum titulo legitima [27] [ſumma] tantum recte petitur. Nec quicquam tibi prodeſſe poteſt, quod minoris [28] eſſe pretii pignus quod dediſti, proponis, quo [29] minus hujusmodi quantitatis ſolutioni pareas. S. 17. Kal. Januar. AA. CONSS. 293.

Si duo ſimul crediderint.

9. Iidem AA. & CC. Alexandro.

CUm te in Gallia cum Syntropho certum auri pondus, itemque numeratam pecuniam mutuo dediſſe, ut Romæ ſolveretur, precibus adſeveras: aditus competens judex ſi duos reos ſtipulandi [30], vel ex pro ſolido tibi quæſitam actionem, ſive ab heredibus Syntrophi procuratorem [31] te factum animadverterit; totum debitum; alioquin, quod dediſti, ſolum reſtitui tibi jubebit. S. 15. Kal. Januar. AA. CONSS. 293.

De uno inſtrumento plurium obligationum, de ſtipulatione mutuo adjecta, de pœnitentia.

10. Iidem AA. & CC. Criſpino.

EO quod a multis [32] proprii debiti ſingulorum obligationis uno [33] tantum inſtrumento probatio continetur: exactio non impeditur. Nam ſi pro pecunia quam mutuo dediſti, vinum ſtipulanti [34] tibi qui debuerant, ſpoponderunt: negotii geſti pœnitentia contractum recte habitum, non conſtituit irritum. S. 2. Non. Febr. *Sirmii*, AA. CONSS. 299.

De incendio.

11. Iidem AA. & CC. Maximiano.

INcendium [35] ære alieno non [36] exuit debitorem [37]. S. 2. Id. Febr. *Sirmii*, AA. CONSS. 299.

De bis, qui in rem communem mutuati ſunt.

12. Iidem AA. & CC. Theophanio.

SI in rem communem cum Ione mutuam ſumpſiſti pecuniam, nec re, nec ſolennitate verborum vos obligaſtis in ſolidum: & ſi eam poſt integram ſolviſti [38]: de reſtituenda tibi parte contra Ionem experiri, ut debitum poſcens, judice cognoſcente potes. S. 15. Kal. Sept. CC. CONSS. 300.

1 Negativam interdum probari hinc colligunt; qua de re dicetur ad *l.* 23. J. *de probat.* 2 Obſtat *l.* 1. S. *h. t.* quam vide & Forcatulum 18. *Cup. num.* 7. Paucis interim traditur, reſtitutionem adverſus ea, quæ juramento non voluntario ſunt deciſa, dari propter ſpecies de novo repertas, *l.* 31. *ff. h. t. l.* 29. S. *de transact.* Goth. Hæc eſt 9. deciſio ex 50. novis Juſtinianeis, ut videre eſt apud Inglois. *Anſ.* 3 Lucrum ex delictis ſperare, impium.

4 Petatur de chirographis. *Cod. Th. l.* 2. *tit.* 27. *L.* 12. *ff.* 1. id eſt, de mutuo, περὶ δανείου. 3. Harm. 5. *Inſt. quib. modis re contrah. in pr.* Formulam actionis vide apud Oldendorp. *claſſ.* 4. *act.* 17. Ferrarienſem *in formula actionis hypothecariæ* 43. *ibi Mutuo.* 2. 5 Heredes tenentur ad onera hereditaria pro hereditariis portionibus, etiamſi in prælegatis ſit inæqualitas. *l.* 26. S. *de pact. l.* 6. *l.* 13. S. *famil. erciſc. l.* 2. J. *de hered. actionib. l.* 2. J. *ſi unus ex pluribus. l.* 1. *infr. de except. l.* 10. J. *de jure deliber. l.* 35. §. 1. *ff. de hered. inſt. l.* 85. §. 1. *in. fin. ff. de verb. obl. l.* 2. *in fin. ff. de ſtipul. præt.* 6 Obligatio perſonalis non ſequitur fundum & prælegatum, ut *ff. ad SC. Trebellian. l.* 1. §. *ſi heres.* nec tranſit etiam inſtantia contra ſucceſſorem. *cap. quia vero. de judic.* licet ſint caſus, ubi contrarium locum obtinet. de quibus Socinus *Regul.* 300. Mod. 7 Perſonalis obligatio & inſtantia ad heredes non tranſit: vid. Socin. *reg.* 177. 8 Hinc ratio dubitandi ſumebatur. Videbatur enim dicendum ex inæquali prælegatorum quantitate, eos inæqualiter etiam teneri. *l.* 1. J. *de except. l.* 20. J. *de jur. delib.* 9 12 Tabularum. 10 Qui pecuniam alienam ſuo nomine credit, ſibi ſtipulando jus quærit, quod tamen cedere tenetur. *l.* 1. J. *de reb. alienis non alien.* adde *l.* 41. *verſ. quod ſi ſtipulatus. ff. h. t. l.* 6. §. 2. *ff. ad SC. Trebell.* 11 Vide *l.* 16. J. *de pignoribus.* 12 Ὁ ἀρχὴν ἢ ὀφφίκιον ἐν ἐπαρχίᾳ πράττων, qui magiſtratum vel officium in provincia gerit, neque per ſe neque per mediam perſonam (διὰ μέσου προσώπου) magiſtratus ſui tempore fœnus exercere poteſt. *Synopſ. Baſil.* 6. *tit.* 1. *ex lib.* 23. *tit.* 1. *cap.* 45. 13 *l.* 33. *ff. h. t. Synopſ. d. loco.* vid. *l.* 1. S. *de contract. judic.* 14 Nomen eſt ipſa obligatio, ipſe contractus initus. 15 Cur ita? collige *ex l.* 32. *in fin. ff. h. t.* vid. Cujac. 5. *obſ.* 29. 16 Hæc lex non tantum locum habet in ſimplici mutuo, ſed & in uſurario. Gaſpar Roderic. *de ann. reditib. lib.* 2. *quæſt.* 5. *num.* 4. Anſ. 17 Numeratio in perſona unius non obligat alios: niſi conſtituerint ſe reos debendi in ſolidum, re vel verbis, vel chirographo, vel biennium ſit elapſum, vel invicem fidejuſſerint. vid. Molinæum *quæſt.* 7. *de uſur. num.* 132. & *ſequent.* 18 *l.* 3. J. *de inutil. ſtipul.* 19 Biennium ſcil. *verſ. multum. Inſt. de lit. oblig.* 20 Is, cui pecunia re vera mutuata eſt, non tenetur ad oleum inſtrumento comprehenſum: Talis enim mutui contractus eſt uſurarius, & naturam mutui excedit, niſi in ſtipulationem oleum deductum fuerit. *ut hic. l.* 6. *infr. h. t.* eſt & in emptione & ſolutione aliud utrobique, namque aliud pro alio ſolvitur volenti. *l.* 17. J. *de ſolut.* 21 Ad hanc legem vid. Goed. *de contrah. ſtipul. c.* 3. *num.* 78. & *cap.* 8. *num.* 71. & *ſeq.* Guid. Pap. *hoc loco.* Leonin. *emendat. lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 1. Anſ. 22 Nicander majorem ſummam ſtipulatus a ſuo debitore, quam ei mutuaſſet, paulo poſt ab eodem ex eadem ſumma uſuras licitas ſtipulatur. Primus contractus uſurarius eſt, vid. *l.* 11. §. 1. *ff. h. t. l. ſi tibi decem.* 17. *ff. de pact.* at non ſecundus, niſi pro ea parte quæ debitori vere numerata non fuit. Quid ſi uſuræ pacto tantum fuerint promiſſæ, non ex ſolenni ſtipulatione? uſuræ non debentur. *l.* 34. *ff. mandati. l.* 1. *l.* 3. *infr. de uſur.* quam nove huc attulit interpretationem Papon. non magni facio: eam tamen vide apud eundem 3. *Not.* 9. *c. de reſtitution de majeur, fol.* 678. 23 Poteſt enim eſſe aliena, ſed & adquiſita ex turpi quæſtu. vid. *l.* 11. *ff. ſolut. matrim.* 24 Species poteſt æſtimari & exinde converti in cauſam mutui, puta pecuniæ: & ita uſura exigi. *l.* 11. *ff. h. t. l.* 12. 23. 25. *infr. de uſur.* adde Molin. *de uſur. q.* 23. *n.* 229. *q.* 85. *n.* 559. 561. & *ſeq.* Et ita ſupellex loco pretii dari poteſt, & in pecuniam converti, & pro alia re quam pecunia numerata facti hujusmodi converſione (legitime tamen, cui contraria eſt illegitima) uſuras legitimas ſtipulari poſſumus. *Goth.* Hanc leg. explicat Roderic. *de reditib. lib.* 1. *q.* 13. *n.* 25. Anſ. 25 Legitime tamen & juſto pretio, citra fraudem & affectum uſurarium, utriusque conſenſu probata. J. *h. t.* alias id genus mutui contrahi a Gallis dicitur, *a perte de finance.* 26 Utilis ſtipulatio uſuræ per inutilem non vitiatur. *l.* 29. *ff. de uſuris.* nec ſors. *l.* 20. *ff. de uſur. l.* 26. §. 1. *verſ. Si quis autem.* J. *de uſuris.* 27 Centeſima. S. *h. t. l.* 40. *in pr. ff. h. t.* Paul. 2. *ſent.* 14. §. 2. Eſt autem legitima uſura centeſima. S. *h. t. ibi, licet ultra uſuram centeſimam.* & hic, *legitima.* 28 Puto legendum eſſe *non minoris* vel *majoris.* ut ſit ſenſus, debitorem non ideo legitimas uſuras creditori denegare, quod ei non minoris pretii pignus dederit, quam ſumma ab eo accepta valeat. adde *edict. Juſtin.* 9. *c.* 4. niſi ſpeciem ita aperte exponamus. Mutuum proprie in pecunia numerata conſiſtit. Loco pecuniæ jumentum utriusque conſenſu juſto pretio æſtimatum datum eſt. Id pretium converſum eſt in cauſam mutui & majores centeſimis uſuræ promiſſæ. Securitatis cauſa creditori debitor aurum dignum forte decem pignori dedit. Quæritur quid juris ſit? creditor pactam ſortem recte petit: at non illegitimas uſuras, ſed legitimas tantum. Neque juvat debitorem, quod pignus dignum decem tantum dederit, ut inde colligat, ſe non in majorem quantitatem, quam pignus valeat obligari. Nam ut non idoneum pignus dederit creditori, ſupereſt tamen ei adverſus debitorem in id, quod ſupereſt, actio, *ut hic. l.* 3. *l.* 5. *l.* 6. *infr. de diſtr. pign. l.* 8. *in fin. ff. de diſtr. pign. l.* 28. *ff. de reb. cred. l.* 10. J. *de oblig. & action.* 29 Vid. *l.* 3. *infr. de diſtract. pignor.* 30 Duo rei credendi in ſolidum verbis, aut rei vera numeratione conſtituuntur. 31 Libello in eodem poteſt quis agere partim ſuo nomine, partim alieno. *l.* 3. *ff. famil. erciſc.* 32 Uno contractu poſſunt plurium perſonarum obligationes contineri. 33 Una ſubſcriptio, unumque ſigillum tabellionis poteſt plures contractus præcedentes, authenticos reddere. 34 Pro pecunia quam mutuam tibi dedi, potes vinum mihi ſtipulanti promittere, & ſic aliud ſolvere quam accepiſti. *l.* 17. J. *de ſolut.* 35 Adde *l.* 7. J. *de condit. inſert.* 36 Et merito. Debitor enim mutui, genus debet, quod nunquam perit. Quod in genere debetur, perire non poteſt. §. 2. *in verſic. Et is quidem. Inſtit. quib. modis re. l.* 1. §. 4. *ff. de oblig. & action.* adde Molin. *quæſt.* 8. *de uſur. n.* 114. Cur? Genera materiale aliquid non ſunt, ſed intellectuale quid, quod paſſionem & ſic interitum non recipit. *Goth.* Vid. Ant. Fabr. *de re nummar. cap.* 2. *num.* 30. Guid. Pap. *hoc loco.* Zanger. *de Except. part.* 3. *c.* 2. *num.* 130. 166. Anſ. 37 Excipe *l.* 5. *ff. de naut.* alias exceptiones, vid. *hic* apud Bald. 38 Qui pro alio ſolvit, etiam ſi ſit ejus correus, poteſt ab eo repetere.

De eo, qui mutuatus eſt in res alienas.

13. Iidem AA. & CC. Frontoni.

EUm, qui mutuam ſumpſit pecuniam, licet [1] in res alienas, creditore non contemplatione [2] domini rerum eam fœnori dante; principaliter obligatum, obnoxium remanere oportet. [3]. S. 17. Kal. Novemb. *Nicomediæ*, CC. CONSS. 300.

De eo qui inſtrumento ſubſcripſit.

14. Iidem AA. & CC. Hadriano.

MUtuæ pecuniæ quam aliis dedit creditor, citra ſolennitatem verborum ſubſcribentem [4] inſtrumento [te] non habet obligatum. Sine die, AA. CONSS. *

Si mutuatus credidit.

15. Iidem AA. & CC. Charidemo.

NOn adverſus te creditores, qui mutuam ſumpſiſti pecuniam, ſed ejus, cui [5] hanc credideras, heredes experiri, contra juris formam evidenter poſtulas. S. 5. Kal. Decemb. CC. CONSS. *

De eo, qui judici, vel honorem ambienti mutuavit.

16. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Theodoro P. P.

QUisquis Judici fœnebrem pecuniam mutuaverit [6], ſi in provincia fuerit verſatus, quaſi [7] emptor legum atque provinciæ, vel ſi quis collectarius [8] honoris pretium dederit ambienti: exilii pœna una cum ipſo judice plectetur. Dat. 17. Kal. Novemb. BASSO & PHILIPPO CONSS. 410.

De chirographis.

17. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ P. P.

SUper chirographariis [9] inſtrumentis hæc pro communi utilitate ſancienda duximus: Ut, ſi quis pecunias credere ſupra [10] quinquaginta libras auri voluerit, vel ſuper reddito debito ſecuritatem accipere, cum amplius ſit memorata quantitate; ſciat non aliter debere chirographum a debitore, vel creditore recipere, quam ſi teſtimonium trium [11] teſtium probatæ opinionis per eorum ſubſcriptiones [idem] chirographum capiat. Nam ſi contra hujusmodi obſervationem chirographum ſuper pecuniis memoratam auri quantitatem excedentibus proferatur: minime hoc admitti a judicantibus oportet. Quod & in futuris creditis, vel debitorum ſolutionibus locum habere oportet. Dat. 10. Kalend. Junii, *Conſtantinop.* DN. JUSTINIANO A. II. CONS. 528.

In AUTHENT. de inſtrument. cauſ. & fide §. oportet vero. col. 6. tit. 2. al. 3. ſeu Novell. 73. cap. 8.

SEd novo jure quinque teſtes adhibendi ſunt, ſi fiat ab imperito literarum contractus in ſcriptis, & in civitate [12], *& excedat libram auri: nam ſi quis facere quemlibet contractum ex non ſcripto voluerit: manifeſtum eſt, quia aut per teſtes, aut per jusjurandum fidem percipiet, actore quidem teſtes deducente, pulſato autem jurante, aut referente, ſicut judex diſpoſuerit. In agris autem, quæ hactenus valuerunt apud eos, & nunc ſint firma.*

TIT. III.
DE SUFFRAGIO [13].

1. Imppp. THEOD. ARCAD. & HONOR. AAA. Rufino P.P.

SI [14] qui deſideria [15] explicare cupientes, ferri ſibi a quoquam ſuffragium poſtulaverint [16], & ob referendam vicem ſe ſponſione conſtrinxerint: promiſſa reſtituant [17]; cum ea, quæ optaverint, conſequantur: ſi artibus moras nectant, ad ſolutionem debiti coartandi ſunt. §. 1. Et ſi quid eo nomine in auro, vel argento, vel cæteris [rebus] mobilibus datum fuerit: traditio ſola ſufficiet, & contractus habebit perpetuam firmitatem: quoniam collatio rei mobilis [18] inita, integra fide ac ratione cumulatur. §. 2. Quod ſi prædia ruſtica, vel urbana placitum continebit: ſcriptura, quæ ea in alium transferat, emittatur: ſequatur [&] traditio corporalis, & rem fuiſſe completam geſta teſtentur: aliter enim ad novum dominum tranſire non poſſunt, neque de vetere jure diſcedere. §. 3. Quod ſi quis, dum ſolo commonitorio [19] ſuffragio nititur, bona duxerit occupanda: reus temeritatis ac violentiæ retinebitur, ac in ſtatum priſtinum poſſeſſio reducetur, eo a petitione excluſo, qui non dubitavit invadere, quod petere debuiſſet. Dat. 3. Non. Mart. ARCADIO III. & HONORIO II. AA. CONSS. 394.

TIT. IV.
DE PROHIBITA [20] SEQUESTRATIONE [21] PECUNIÆ.

1. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Joanni P. P.

QUotiens [22] ex quolibet contractu pecunia poſtulatur, ſequeſtrationis neceſſitas conquieſcat. Oportet enim debitorem primo [23] convinci, & ſic deinde ad ſolutionem pulſari: Quam rem non tantum juris ratio, ſed & ipſa æquitas perſuadet, ut probationes ſecum adferat, debitoremque convincat pecuniam petiturus. Dat. 6. Id. Julii, *Ravennæ*, HONORIO XIII. & THEODOSIO X. AA. CONSS. 422.

TIT. V.
DE CONDICTIONE INDEBITI [24].

De cauſa judicati, de herede, de uſuris.

1. Imp. ANTON. A. Mutiano.

PEcuniæ indebitæ, per errorem, non ex cauſa judicati [25] ſolutæ, eſſe repetitionem jure condictionis, non ambigitur. Si quid igitur probare potueris patrem tuum, cui heres extitiſti, amplius debito creditori ſuo perſolviſſe, repetere potes. Uſuras [26] autem ejus ſummæ præſtari tibi fruſtra deſideras: actione enim condictionis ea ſola [27] quantitas repetitur, quæ indebita ſoluta eſt. PP. 3. Kal. Auguſt. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De delegatione.

2. Idem A. Secundinæ.

SI citra ullam transactionem [28] pecuniam indebitam alieno creditori promittere delegata [29] es, adverſus eam, quæ te delegavit, condictionem habere potes. PP. 14. Kalend. Januar. ANTONINO A. IV. & BALBINO CONSS. 214.

De quantitate, de cautione.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. & CC. Pamphilo.

CUm & ſoluta indebita quantitas ab ignorante repeti poſſit: multo [30] facilius quantitatis indebitæ interpoſitæ ſcripturæ [31] condictio competit, vel doli [32] exceptio [33] agenti opponitur. S. 3. Non. April. *Byzantii*, AA. CONSS. 293.

De bis, quæ per inficiationem in lite creſcunt.

4. Iidem AA. & CC. Heraclio.

EA, quæ per inficiationem in lite creſcunt [34], ab ignorante etiam [35] indebita ſoluta repeti non [36] poſſe, certiſſimi juris eſt. Sed & ſi cautio indebitæ pecuniæ ex eadem cauſa interponatur: condictioni locum non eſſe conſtat. S. 5. Id. April. *Byzantii*, AA. CONSS. 293.

De herede.

5. Iidem AA. & CC. Attalo.

SI a patre emancipatus ei non intra tempora præſtituta [37] jure honorario [38] ſucceſſiſti, quidquid indebitum poſtea per errorem [39] (utpote [40]

1 Εἰ καὶ εἰς οἰκοδομὴν ἑτέρου προσώπου, licet in utilitatem alterius perſonæ. *Schol. Synopſ. Baſil.* 7. *tit.* 6. S. *ex lib.* 25. *tit.* 1. *c.* 55. 2 *l.* 6. §. 1. *ff. de negot. geſt.* ſenſus eſt, in mutui obligatione conſiderari, quid contrahentes inter ſe egerint, non quid debitor cum tertio egerit. 3 Μὴ περιεργαζομένων ἡμῶν τὴν αἰτίαν, nobis non anxie aut curioſe negotium inquirentibus. Hæc verba addit *Synopſ. Baſil. h. t.* & 3. Harmen. 5. §. 68. ut ſit ſententia, eum qui mutuam pecuniam ſumpſerit, teneri: licet in res alienas ſumpſerit. Nec enim curioſe hoc inquirendum eſſe, in quas aut cujus utilitates ſumpſerit, ſed quis ſumpſerit. 4 Subſcribens tantum ut teſtis non obligatur ex mutuo. *l.* 11. J. *de obligat. & action. l.* 15. J. *de admin. tut.* vid. *l.* 6. J. *de fidejuſſor. & mandat.* adde *l.* 12. *ff. de evict.* 5 Creditor non cogitur crediti nomine relicto debitore experiri adverſus debitorem debitoris ſui. *l.* 13. J. *de oblig. & action. l.* 49. *ff. de condict. indeb.* 6 Hoc eſt, recepturus ab eo pecuniam, cum in provinciam, cui præeſt, venerit. ut ſit ſenſus: is, qui præſidi provinciæ fœnebrem pecuniam mutuaverit, recepturus ab eodem. ἐὰν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἧς ἄρχει παραγένηται, ſi vel cum in eam provinciam, cui præeſt, ipſe creditor venerit, exilio multatur: ἐπειδὴ πρόξενος αὐτῷ γίνεται κλοπῆς ὡς ἀγοραστὴς τῶν νόμων: quod furti auctor ei fiat, quaſi emptor legum. ita hunc locum Græci accipiunt. *Synopſ. Baſil. h. t. c.* 58. Quid ſi δανείσει τὴν δόσιν τῆς ἀρχῆς, id eſt, mutuum dederit nondum præſidi, ſed futuro præſidi, ut pecunia accepta magiſtratum emeret? tam ipſe, quam præſes exilio multatur. *Synopſ. d. loco.* 7 Vide quædam ad hunc locum apud Cujac. *Novell.* 8. 8 *Ibid. Eclog.* 6. *ex lib.* 23. *c.* 85. *fol.* 74. Collectarii verbo utitur Cicero *lib. de Oratore*, eſtque ἀργυραμοιβὸς τραπεζίτης. Alciat. 4. *diſpunct.* 22. vertit argentarium & campſorem, & *lib.* 4. *de verb. ſignific.* Collectarios eos actores eſſe putat, quibus pro more erat in auctionibus reliqua publicanorum emere, quæ illi vel ob graviores curas, vel ob debitorum procraſtinationem nequiverant expungere. Coactorum autem meminiſſe Horatium, Sueton. in Veſpaſiano & Senecam. adde eundem 1. *Parerg.* 24. Cujac. 10. *obſ.* 14. ex Donato & Acrone, nummularios coactores, collectarios, facit minores argentariis & majores miniſtris & mercenariis: per eos namque pecunias coëgiſſe: & quas acceperant, per partes occupaſſe fœnori, vel qua alia ratione erogaſſe. Partes κέρματα. 9 Nota de actione ſi certum petatur ex chirographis. 1. *C. Theod.* 57. 10 Chirographo aut apochæ continenti ſummam quinquaginta libras auri excedentem non creditur, niſi tres teſtes adfuerint, & ei ſubſcripſerint. vid. *Novell.* 73. *cap.* 8. & *ibid.* Cujac. vid. ad hunc locum diligentiſſime Harmen. 1. *cap.* 6. 11 Vid. *l.* 11. J. *qui potiores.* vid. Harm. *d. loco. Novell.* 73. *c.* 1. *Novell.* 90. & *ibid.* Cujac. *l.* 11. *in fin.* J. *qui potiores.* Novo jure quinque teſtes adhibendi. *Authent. prox.* J. *h. t.* 12 Major in contractu ſolennitas requiritur in urbibus, quam ruri, *ut hic.* idem jus eſt in teſtamentis. *l. ult.* J. *de teſtam.*

13 *Si certum petatur de ſuffragiis.* 2. *C. Theod.* 29. Id innuitur. Hac conſtitutione ſuffragium in aula unicuique eblandiri & pecunia elicere, & ſuffragium (modo non ſit fumoſum) vendere permitti, ideoque promiſſorem eo nomine teneri. Aliud jus ante hanc conſtitutionem fuit, cum ſoluti ſuffragii repetitio daretur, ut & alia conſtitutione Juliani. *l.* 2. *C. Theod. h. t.* Nec fuit ſoluti repetitio, nec petitio non ſoluti. Ammianus 22. etiam refert Julianum tuliſſe legem, ne liceret quidquam dare ſuffragatoribus, ſicque quod hic permittitur, Juſtinianus vetuit, *Novell.* 8. *de magiſtratibus non vendendis*, οὐδ' ὁτιοῦν διδόντες, οὔτε προφάσει τῶν καλουμένων *ſuffragiorum.* Tiberius poſt vetuit, *Novell.* 161. vid. Cujac. *hic*: & Duaren. 2. *diſput.* 12. Robert. 2. *ſentent.* 21. 14 *l.* 2. *C. Theod. h. t.* 15 Neceſſitates, interpres *ad l.* 2. *C. Theod.* 16 Vid. Alciat. *lib.* 2. *parerg. c.* 26. & *paradox. lib.* 2. *cap.* 14. Mod. 17 Hoc eſt, præſtent. 18 Suffragii cauſa in auro, argento, & in re mobili promiſſum firmum eſt ſine ulla ſcriptura, *ut hic*: quia res mobiles in ſuffragiis non requiruntur, ſed ſola traditione firmantur. Interpres *l.* 2. *C. Theod. h. t.* ubi tamen vereor ne legendum ſit, *ſola conventione.* In immobilium promiſſis ſcriptura neceſſaria eſt & traditio. 19 Id eſt, ſola adnotatione & ſcriptura conventionis: Vincentius Lirinenſis adverſus prophanas, Oblivionis meæ gratia commonitorium mihimet paraſſe ſufficiet. Eodem verbo utitur Auguſtinus *epiſt.* 129. & 158. Commonitorii formula extat apud Caſſiodorum 7. *variar.* Symmachus pro eodem Monitorium uſurpat: video tamen interpretem *d. l.* 2. *C. Theod. h. t.* ſolum commonitorium ſuffragium interpretari ſuffragium ſine ſcriptura promiſſum ſeu non ſcriptum.

20 Sequeſtrationem ne hinc colligas omnino prohiberi: certis enim caſibus puta ſi populationis ſive diſſipationis vel rixarum imminet periculum, permittitur ſequeſtratio. *l.* 5. *infr. quor. appellat. l.* 7. *in fin. ff. qui ſatisdare. l. fin. in fin. ff. de appellationib.* Alias præterea novem exceptiones adfert Ferrarienſis, quas vid. *in forma ſequeſtri ſeu laxamenti* 9. *verſ. Sapiens vir.* adde alias ex Socino *reg.* 371. 21 2. *C. Theod.* 28. & 2. *Decret.* 17. & 2. *Clement.* 6. *De ſequeſtratione poſſeſſionis & fructuum*, vide Ferrarienſem *in forma ſequeſtri ſeu laxamenti* 9. adde Rebuffum *tom.* 3. *tract. de ſequeſtris ſeu commiſſariis rei captæ & ſaiſitæ deputatis.* Papon. 8. *arreſt.* 10. *de ſequeſtre & reſtabliſſement.* & 5. *Notar.* 8. *cap. d'interdicts & actions poſſeſſoires.* ibi, *la queſtion du ſequeſtre comme eſt conduite, & ſequentibus.* Oldendorp. *cap.* 50. *de except.* ubi tractat de exceptione ſequeſtri Sequeſtrare eſt ſeorſim ponere. Sequeſtratio poſſeſſionis rei litigioſæ in tertium tranſlatio. *l.* 9. §. 3. *ff. de dolo malo.* Sequeſter eſt is apud quem res litigioſa deponitur. vid. *l.* 110. *ff. de verb. ſignific.* qui & a veteribus, Sculna dicebatur. 20. *Gell.* 10. 22 *l. unic. C. Theod. h. t.* Goth. Vid. Goedd. *de ſequeſtrat. c.* 1. *n.* 92. & Guid. Pap. *h. l.* Anſ. 23 Poſſeſſio reo competens non eſt ei auferenda, niſi convicto: Decem exceptiones vide apud Ferrarienſem *d. loco.*

24 §. 1. *Inſtit. quib. modis re* & 12. *D.* 6. & 52. *Eclog.* 3. Formulam hujus actionis vide apud Oldendorp. *claſſ.* 6. *act.* 6. Goth. Vid. ad hunc titul. & ſingulas leges Guid. Pap. *Anſ.* 25 Indebiti per errorem, non ex cauſa judicati ſoluti, repetitio eſt. *Syn. Baſil.* 52. *tit.* 3. *ex lib.* 24. *tit.* 1. *cap.* 17. *l.* 29. §. 5. *ff. mandati.* Sententia facit, ut indebitum debeatur, nec condici poſſit. de quo vid. Molinæum 16. *de uſu quæſt.* 186. 26 Promutui uſuræ non debentur. vid. Cujac. 8. *obſerv.* 34. Indebitum ſolutum promutuum eſt. Promutuum quaſi mutuum. *Goth.* Excipe, niſi is cui indebitum ſolutum eſt, pecunias ad intereſſe dedit aliis, & ſic cum iis lucratus ſit. Mart. *dig. noviſſ. tom.* 3. *tit. Intereſſe. c.* 14. Barboſ. & Gloſſ. *hic.* Anſ. 27 Nota quid hac actione petatur. 28 Indebitum transactionis cauſa datum non repetitur. *l.* 65. §. 1. *ff. h. t. l.* 6. S. *de juris & facti ignorant. l.* 1. *ſupr. de pact. l.* 16. *l.* 25. *ſupr. de transactionib. l.* 78. *in fin. ff. ad SC. Trebell.* 29 Solvit qui delegat, ideoque ut indebiti ſoluti, ita indebite delegati condictio eſt. 30 Argumentum a majori ad minus obſerva. Cui ſoluti repetitio eſt, ejus multo magis tantum cauti condictio eſt, aut petiti exceptio *l.* 31. *ff. h. t.* 31 Cautiones & chirographa indebita condici poſſunt. excipe *l.* 4. *in fin. infr. h. t.* 32 *l.* 5. *in fin. ff. de act. empt.* 33 Favetur magis exceptioni, quam actioni. *l.* 125. *ff. de reg.* 34 Ut ea, quæ duplicantur. vide Paul. 1. *ſent.* 19. §. *ult.* 35 Cur indebita vocant? nempe quia per inficiationem debiti pœnæ loco debentur. Ea igitur quæ per inficiationem duplantur, licet indebita ſoluta fuerint, non repetuntur. *Synopſ. Baſil. ibid. cap.* 20. 36 §. *ult. Inſt. de oblig. quæ quaſi ex contractu.* 37 Scilicet intra annum, qui filio emancipato ad agnoſcendam bonorum poſſeſſionem tribuitur. *l.* 1. §. *ſed videndum* & §. *largius. ff. de ſucceſſ. edict.* & *l.* 1. J. *qui admitt. ad bonor.* Mod. 38 Honorarium jus prætorium eſt. §. 7. *Inſt. de jure naturali.* 39 Debitum hereditarium per errorem a non ſuccedente ſolutum repetitur. 40 Legendum eſt, *ut patris*: quaſi dicat: Quod quis (quaſi ipſum ob ſucceſſionem deberet) ſolvit, repetere poteſt. *l.* 65. *in fin. ff. h. t.* Et vere Græci hunc locum ita exprimunt. Qui non eſt heres, ſi tanquam heres ſolverit, repetere ſolutum poteſt. ſicut & legata revertuntur & repetuntur. *Synopſ. ibid. c.* 22. adde *l.* 7. J. *h. t.*

patris ſucceſſor) dediſti, ejus condictionem tibi competere, non eſt incerti juris. S. 14. Kal. Maji, AA. CONSS. 293.

De ſolutione pro alio.

6. Iidem AA. & CC. Mnaſeæ.

SI per ignorantiam facti non debitam quantitatem pro alio ſolviſti [1]; & hoc, adito Rectore provinciæ fuerit probatum, hanc ei [2], cujus nomine ſoluta eſt, reſtitui eo agente providebit. S. 6. Id. Auguſt. AA. CONSS. 293.

De fideicommiſſo, vel legato.

7. Iidem AA. & CC. Dionyſiæ.

FIdeicommiſſum [3] vel legatum indebitum per errorem facti [4] ſolutum, repeti poſſe [5], explorati juris eſt. S. 5. Idus Septemb. AA. CONSS. 293.

De falſo procuratore.

8. Iidem AA. & CC. Zyparo.

CReditoris falſo [6] procuratori ſolventi, adverſus eum indebiti repetitio, non obligationis liberatio competit. S. Petit. 15. Kalend. Novemb. AA. CONSS. 293.

De eo, qui indebitum ſciens ſolvit. 1. de re a non domino diſtracta.

9. Iidem AA. & CC. Gratianæ.

INdebitum ſolutum ſciens [7], non [recte] repetit. §. 1. Citra mandatum autem ab alio re diſtracta: dominus evicta re, vel ob præcedens vitium ſatis [8] emptori faciens, non indebitum prætendere [poteſt,] ſed per hujuſmodi factum ratum contractum habuiſſe probans, a ſe debitum oſtendit eſſe ſolutum. S. 4. Non. Decemb. *Nicomediæ*, CC. CONSS. 293.

De debitore rei alternatæ, qui utrumque ſolvit.

10. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

SI quis ſervum certi nominis, aut [9] quandam ſolidorum quantitatem [10], vel aliam rem promiſerit; & cum licentia [ei] fuerat unum ex his ſolvendo liberari, utrumque per ignorantiam dependerit: dubitabatur, cujus rei daretur a legibus ei repetitio, utrumne ſervi, an pecuniæ: & utrum ſtipulator, an promiſſor habeat hujus rei facultatem? Et Ulpianus [11] quidem electionem ei præſtat, qui utrumque accepit, ut hoc reddat, quod ſibi placuerit, & tam Marcellum, quam Celſum ſibi conſonantes refert. Papinianus autem ipſi, qui utrumque perſolvit, electionem donat: qui & antequam dependat, ipſam habet electionem, quod velit præſtare. & hujus ſententiæ ſublimiſſimum teſtem adducit Salvium Julianum [12] ſummæ auctoritatis hominem, & prætorii edicti [perpetui] ordinatorem. Nobis hæc decidentibus, Juliani & Papiniani [13] ſententia placet, ut ipſe [habeat] electionem recipiendi, qui & dandi habuit. Dat. Kal. Auguſt. *Conſtantinop.* LAMPADIO & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

De eo, qui mente titubante & ancipiti ſolvit.

11. Idem A. Juliano P. P.

PRo dubietate [14] eorum, qui mente [15] titubante indebitam ſolverint pecuniam, certamen legumlatoribus incidit; id ne, quod ancipiti animo perſolverint, poſſint repetere, an non. Quod nos decidentes, ſancimus, omnibus, qui incerto [16] animo indebitam dederint pecuniam, vel aliam quandam ſpeciem perſolverint, repetitionem non denegari, & præſumptionem [17] tranſactionis non contra eos induci: niſi hoc ſpecialiter ab altera parte approbetur. Dat. Kal. Octob. *Conſtantinop.* LAMPADIO & ORESTE VV. CC. CONSS. 530.

TIT. VI.
DE CONDICTIONE OB CAUSAM [18] DATORUM.

De cauſa dotis.

1. Imp. ANTONINUS A. Calliſthenidi.

PEcuniam, quam te *ob dotem* accepiſſe pacto interpoſito (ut fieri, quum jure matrimonium contrahitur, adſolet) proponis, impediente [19] quocunque modo juris auctoritate matrimonium [conſtare, nullam [20] de dote actionem habes: & propterea pecuniam, quam eo nomine accepiſti,] jure condictionis reſtituere debes [21]: & pactum, quod ita interpoſitum eſt, perinde ac ſi interpoſitum non eſſet, haberi oportet. PP. 6. Kal. Aug. LÆTO II. & CEREALE CONSS. 216.

De donatione.

2. Imp. ALEXANDER A. Aſclepiadi.

SI (ut proponis) pater tuus ea lege ſorori tuæ prædia, cæteraque quorum meminiſti, donavit, *ut creditoribus ipſa ſatisfaceret*, [22] ſi placitis obſervata non eſſent, donatio reſolveretur [23], eaque contra fidem negotii geſti verſata eſt, non eſt iniquum, actionem condictionis ad repetitionem rerum donatarum tibi, qui patri ſucceſſiſti, decerni. PP. 14. Kal. Decemb. ALBINO & MAXIMO CONSS. 228.

3. Impp. VALERIAN. & GALLIEN. AA. Aurelio & Alexandræ.

EA lege in vos collata donatio, *Ut neutri alienandæ* [23] *ſuæ portionis facultas illa competeret*, id efficit, ne alteruter veſtrum dominium prorſus alienet: vel ut donatori, vel ejus heredi condictio, ſi non fuerit conditio ſervata, quæratur. PP. Kal. April. VALERIANO IV. & GALLIENO III. AA. CONSS. 258.

De condictione liberationis.

4. Idem AA. & VALERIANUS C. Æmiliæ.

SI cum exiguam pecuniam revera ſuſciperes, longe majorem [24] te accepiſſe caviſti, eo *quod tibi patrocinium* [25] *adverſarius repromitteret*: cum dicas fidem promiſſi non ſecutam [26]: ut liberetis obligatione ejus, quod non acceptum propter ſperatum patrocinium ſpopondiſti, per condictionem conſequeris. PP. 5. Kal. Maji, ÆMILIANO & BASSO CONSS. 260.

De milite dato procuratore.

5. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Martiali.

SI militem [27] ad negotium [tuum] procuratorem feciſti, cum hoc legibus interdictum ſit, ac propter hoc pecuniam ei numeraſti, quicquid ob cauſam datum eſt, cauſa non ſecuta reſtitui tibi competens Judex curæ habebit. PP. 10. Kalend. Octob. ipſis IV. & III. CONSS. 290.

De ancilla data, ut manumittatur.

6. Iidem AA. & CC. Cyrioni & Plotioni.

CUm ancillam patrem veſtrum ei, contra quem ſupplicatis, dediſſe proponatis: intereſt hujus, utrumne donandi animo dederit, an ob manumittendam filiam, quam [28] ancillam exiſtimabat: cum perfecta quidem donatio revocari non [29] poſſit, cauſa vero donandi non ſecuta [30], repetitio competat. S. 2. Idus Maji, AA. CONSS. 293.

De donatione.

7. Iidem AA. & CC. Gerontio.

SI repetendi [31], quod donabas uxori ejus, quem ad proficiſcendum tecum hujuſmodi liberalitate provocare propoſueras [32], nullam addidiſti conditionem, remanet integra donatio: cum levitati perfectam [33] donationem revocare cupientium jure non occurratur. S. 7. Kal. Sept. AA. CONSS. 293.

8. Iidem AA. & CC. Flaviano.

DIctam legem donationi, ſi non [34] impoſſibilem contineat cauſam, ab eo, qui hanc ſuſcepit, non impletam, condictioni facere locum, juris dictat diſciplina. Quapropter ſi titulo liberalitatis res tuas in ſponſam conferendo, certam dixiſti legem; nec huic illa, dum [35] poſſet parere, ſucceſſores ipſius de repetendis, quæ dederas, ſi hoc tibi placuerit, convenire non prohiberis. S. 3. Idus Febr. AA. CONSS. 293.

De eo, qui accepit, ut manumitteret.

9. Iidem AA. & CC. Bibulo.

SI liber conſtitutus, *ut filiæ tuæ manumittendæ*, aliquid dediſti, cauſa non ſecuta, de hoc [tibi] reſtituendo condictio competit: nam ſi quid ſervus de peculio domino dederit, contra eum [quidem] nullam actionem habere poteſt: ſed dominum, qui ſemel accipere pecuniam pro libertate paſſus eſt, aditus provinciæ Rector hortabitur [36], ſalva [37] reverentia, favore ſcilicet libertatis, placito ſuo ſtare. S. 3. Id. Februar. *Sirmii*, AA. CONSS. 299.

De culpa & caſu fortuito.

10. Iidem AA. & CC. Canonianæ.

PEcuniam a te datam; ſi hæc cauſa, pro qua data eſt, non culpa accipientis [38] ſed fortuito caſu [39] non eſt ſecuta, minime repeti poſſe certum eſt. S. 3. Non. Decemb. *Nicomediæ*, CC. CONSS. 300.

1 Vel ex ejusdem pecunia. *l.* 46. *ff. h. t.* vel per errorem facti tibi demandati. 2 Ideoque debitor non auditur ſi dixerit, male ſe conveniri ab eo cujus nomine facta fuerit indebiti ſolutio: alias diſtinctiones vid. apud Cujac. 8. *obſ.* 9. 3 Dixi ad *l.* 4. ʒ. *h. t.* 4 Non juris. *l.* 10. ʒ. *de juris & facti. l.* 9. ʒ. *ad leg. Falc. l.* 9. §. 5. *ff. de juris & facti.* 5 Imo non poteſt. vid. 24. *Ulpian. ult.* 6 Quod ſolvit debitor falſo procuratori, ſolventem non liberat. Id tamen poteſt condicere. 7 Qui ſciens indebitum ſolvit, non repetit. *Syn. h. t. c.* 25. 3. Harm. 5. §. 73. vid. *l. ult.* ʒ. *h. t. l.* 1. *l.* 50. *ff. h. t. l.* 21. §. 1. *ff. de inoff. teſtam. l.* 6. *ff. de cond. ob cauſ. l.* 43. *ff. de admin. & peric. tut. l.* 29. *ff. de donat. l.* 53. *ff. de reg. jur.* Aliud ſi animo condicendi. *l.* 2. *ff. h. t. l.* 14. ʒ. *de ſolut.* 8 Dominus ſolvens [illegible]

[illegible]

De advocationis cauſa.

11. Iidem AA. & CC. Stratonicæ.

ADvocationis cauſa datam pecuniam, ſi per [1] eos, qui acceperant, quo minus ſuſceptam fidem impleant, ſtetiſſe probetur [2], reſtituendam eſſe convenit. S. 17. Kal. Jan. CC. CONSS. 300.

TIT. VII.
DE CONDICTIONE [3] OB TURPEM [4] CAUSAM.

De cautione ob turpem cauſam interpoſita.

1. Imp. ANTONINUS A. Ingenuo.

SI ex cautione tua conveniri cœperis: nullam pecuniam te accepiſſe, ſed ob turpem [5] cauſam, & quam fieri prohibitum eſt, interpoſitam [cautionem,] ei, qui ſuper ea re cogniturus eſt, probandum eſt; & eo impleto abſolutio [6] ſequetur. Sine die & conſule.

De dato propter turpem cauſam.

2. Idem A. Longino.

CUm te propter turpem cauſam, contra diſciplinam temporum meorum, domum adverſariæ dediſſe profitearis, fruſtra [7] eam tibi reſtitui deſideras: cum in pari [8] cauſa poſſeſſoris conditio melior habeatur. PP. 15. Kal. Decemb. LÆTO II. & CEREALE CONSS. 216.

De dato evitandi tyrocinii cauſa.

3. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. Dizonti militi.

QUod evitandi [9] tyrocinii cauſa dediſſe te, apud competentem Judicem, ei, de quo quereris, indubia probationis luce conſtiterit, inſtantia ejus recipies [10]. Qui memor cenſuræ publicæ, poſt reſtitutionem pecuniæ, etiam concuſſionis crimen inultum eſſe non patietur. PP. 3. Kal. Aug. ipſis IV. & III. AA. CONSS. 290.

De turpi cauſa accipientis tantum. De uſuris.

4. Iidem AA. & CC. Rufino.

QUoties [11] accipientis, non etiam dantis turpis invenitur cauſa: licet hæc ſecuta fuerit, datum condici [12] tantum, non etiam uſuræ peti poſſunt [13]. S. 7. Id. Jan. *Sirmii*, AA. CONSS. 293.

De lenocinio mariti.

5. Iidem AA. & CC. Bichoporo.

MErcalem [14] te habuiſſe uxorem proponis: Unde intelligis, & confeſſionem [15] lenocinii preces tuas continere, & cautæ [16] quantitatis ob turpem cauſam exactioni locum non eſſe. Quamvis [17] enim utriusque [18] turpitudo verſatur, ac ſolutæ quantitatis ceſſat repetitio, tamen ex hujuſmodi ſtipulatione [19] contra bonos mores interpoſita denegandas eſſe actiones juris auctoritate demonſtratur. S. 6. Id. Maji, CC. CONSS. 294.

De furto.

6. Iidem AA. & CC. Eutychiæ.

OB [20] reſtituenda [ea] quæ ſubtraxerat, accipientem pecuniam, cum ejus [21] tantum interveniat turpitudo, condictione conventum hanc reſtituere debere convenit. Dat. 15. Kal. Jun. CC. CONSS. 294.

De pecoribus abactis.

7. Iidem AA. & CC. Zenoni.

EUm qui ob [22] reſtituenda, quæ [23] abegerat, pecora, pecuniam accepit: tam hanc, quam ea, quæ per hoc commiſſum tenuit, reſtituere debere convenit: licet mortua, vel alio fortuito caſu periiſſe [24] dicantur: cum hoc caſu in rem [25] mora fiat. Dat. 5. Kal. Decemb. *Nicomediæ*, AA. CONSS. 299.

TIT. VIII.
DE CONDICTIONE FURTIVA [26].

De pluribus delinquentibus.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. & CC. Hermogeni.

PRæſes provinciæ ſciens furti quidem actione ſingulos [27] quosque in ſolidum teneri [28], condictionis vero nummorum furtim ſubtractorum electionem eſſe; ac tum demum, ſi ab uno ſatisfactum fuerit, cæteros liberari [29], jure proferre ſententiam curabit. Dat. Kal. Majis, CC. CONSS. 294.

De rei interitu.

2. Iidem AA. & CC. Ariſtæneto.

ANte oblationem interemptæ [30] rei furtivæ damnum ad furem pertinere, certiſſimi juris eſt. Dat. Kal. Maji, CC. CONSS. 294.

TIT. IX.
DE CONDICTIONE EX LEGE [31] ET SINE [32] CAUSA VEL INJUSTA [33] CAUSA.

De fiſco.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. Ulpio.

LIcet ante [34] tempus debita exigi non poſſint, tamen ſi te ex primipilo [35] debitorem conſtitutum fiſci, ac patrimonium tuum exhauſtum Præſes provinciæ comperit, ut ad ſolutionis ſecuritatem ſolum fœnebris pecuniæ ſubſidiumupereſſe videatur: commonebit debitorem [36] tuum, ſi ſaltem ipſe ſit ſolvendo, ut ante definitum tempus debita repræſentet: ut fiſco, cujus ob [37] neceſſitates publicas cauſam potiorem eſſe oportet, debita pecunia exolvatur. S. 13. Kal. Aug. *Sirmii*, CC. CONSS. 294.

De inſtrumento quantitatis ſolutæ.

2. Iidem Auguſti & CC. Sculatio.

DIſſolutæ [38] quantitatis retentum inſtrumentum, inefficax penes creditorem remanere, & ideo per condictionem reddi oportere, non eſt ambigui juris. S. 3. Non. April. CC. CONSS. 300.

De malæ fidei poſſeſſore, & de fructibus.

3. Iidem AA. & CC. Galatiæ.

MAla fide poſſidens, de proprietate victus, [de] extantibus [39] fructibus [rei] vindicatione, [de] conſumptis [40] vero condictione conventus, eorum reſtitutioni parere compellitur. Dat. Id. Febr. CC. CONSS. 302.

De cautione non numeratæ pecuniæ.

4. Iidem AA. & CC. Alexandro.

SI non [41] eſt numeratum, quod velut accepturum te ſumpſiſſe mutuo ſcripſiſti: & necdum tranſiiſſe tempus ſtatutum, vel intra hunc diem habitam conteſtationem monſtrando, reddi [42] tibi cautionem Præſidali notione poſtulare potes. Dat. 17. Kal. Jan. CC. CONSS. 302.

TIT. X.
DE OBLIGATIONIBUS [43], ET ACTIONIBUS [44].

De actionibus ei, qui pro alio ſolvit, mandatis.

1. Imp. GORDIANUS A. Valeriæ.

DAta certæ [45] pecuniæ quantitate ei cujus meminiſti [46], in vicem [47] debiti [48], actionem [49] tibi adverſus debitorem, pro quo ſolviſti, dicis eſſe mandatam: & antequam eo nomine litem [50] conteſtareris, ſine [51] herede creditorem fati munus impleſſe proponis [52]: Quæ ſi ita ſunt, utilis [53] actio tibi competit. PP. 5. Kal. Maji, ATTICO & PRÆTEXTATO CONSS. 243.

De nominibus in dotem datis.

2. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. Celſo.

NOminibus [54] in dotem datis, quamvis nec delegatio præceſſerit, nec litis conteſtatio ſubſecuta ſit: utilem [55] tamen marito actionem ad [56] ſimilitudinem ejus [57], qui nomen emerit, dari oportere, ſæpe reſcriptum eſt. PP. 14. Kal. Februar. SECULARI & DONATO CONSS. 261.

De colonis ob debita locatoris non conveniendis.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Ruſticiano.

OB [58] cauſam proprii debiti [59] locatoris conveniri colonos penſioni-

1 *l.* 8. 9. ʒ. *h. t.* 2 Alias ſecus. vid. *l.* 1. §. 13. *ff. de extraord. cognit.* Anſ.

3 10. *Synopſ. Baſil. cap.* περὶ τῶν διδομένων, ἢ δεομένων, *fol.* 126. Goth. Vid. Guid. Pap. ad hunc tit. & ſingulas leges. *Anſ.* 4 Vel injuſtam. *L.* 12. *D.* 5. adde Oldendorpium *Claſſ.* 6. *act.* 7. 5 Vide *l.* 27. *ff. de verb. oblig.* 6 Promiſſum turpi ex cauſa peti non poteſt. *dict. l.* 27. 7 Par cum eſt cauſa dantis & accipientis, turpiter datum non repetitur. *l.* 3. *l.* 4. §. 3. *l.* 8. *ff. h. t. Eclog. dict. loc. ex tit.* 2. *cap.* 2. *cap.* 5. *cap.* 8. *l. ult. in princ. ff. de condict. ſine cauſa.* 8 *l.* 5. §. 1. *ff. de calumniatoribus. l.* 128. *ff. de reg. jur.* 9 Vid. *l.* 12. §. 1. *ff. de pollicitat.* 10 Quia in accipientis tantum cauſa turpitudo verſatur. *l.* 4. ʒ. *h. t. dict. l.* 5. §. 1. 11 Ut *l.* 3. ʒ. *h. t. Synopſ. Baſil. dict. tit.* 2. *c.* 10. *l.* 6. 7. *h. t. l.* 1. *in fin. l.* 2. *ff. h. t.* 12 Excipe *l.* 5. ʒ. *h. t.* 13 Sicut in fure, qui pecuniam accepit ob ea reſtituenda, quæ ſubtraxerat, vel in eo, qui abegerat pecora, *Synopſ. Baſil. ibid. cap.* 10. quæ ſpecies eſt *l.* 6. & *ult.* ʒ. *h. t.* 14 Mercalis uxor eſt, quæ ſcortatur: id Synopſeos autor *dict. loc. c.* 11. ita reddit, Qui ſcit uxorem ſuam ſcortari & tacet, lenocinium facit. 15 Allegans turpitudinem non auditur. 16 *l.* 1. *ſupr. h. t. l.* 26. 27. *ff. de verb. oblig.* 17 Turpi ex cauſa dantis promiſſa non petuntur, nec repetuntur, hoc eſt, ea ſi ſoluta ſint, non poſſunt repeti: ſi non ſunt ſoluta, peti non poſſunt. 18 *l.* 4. *ſupr. h. t.* 19 §. 24. *Inſtit. de inutilib. ſtipul.* 20 Turpitudo accipientis non etiam dantis in hac hypotheſi verſatur: ideo reſtituitur. *l.* 4. *ſupr. h. t. Synopſ. eod. cap.* 12. 21 Datum furi, ut rem ſubreptam reſtituat, turpiter ab eo accipitur: ideoque condici poteſt. adde *l. ult. infr. h. t.* 22 *l.* 6. *ſupr. h. t.* 23 Turpitudo quoque ſolius accipientis hac parte continetur. Dixi ad *l.* 4. ʒ. *h. t.* 24 Fur tenetur de re furtiva ea etiam extincta. *l.* 1. ʒ. *de his, quæ vi metusve cauſ. l.* 2. ʒ. *tit. prox. l.* 9. ʒ. *de furt. l.* 8. *ff. de cond. furt. l.* 1. §. 34. *l.* 19. *ff. de vi & vi arm. l.* 46. *ff. de furtis.* 25 Mora in rem facta quid ſit obſerva. *l.* 8. §. 1. *l. ult. ff. de condict. furt.*

26 Vid. *L.* 13. *D.* 1. 27 Vid. *l.* 1. *in fin. ff. ſi is, qui teſtam. lib.* 28 Recte hic notant Græci, ex furti actione in ſingulos agi poſſe, quod ad pœnam attinet, ex ea regula, quæ dicit: *Quoties plures ad pœnam tenentur, uno eorum convento & ſolvente, alium non liberari.* atque ex hujus legis diſtinctione alias leges, quæ in Pandectis indiſtincte loquantur, intelligendas eſſe. *Mod.* 29 Solutio rei facta ab uno fure cæteros liberat a condictione furtiva, non a pœna furti. 30 *l.* 3. *ff. h. t.* dixi ad *l. ult. ſupr. de condict. ob turp.*

31 *L.* 13. *D.* 2. 32 *L.* 12. *D.* 7. vide Oldendorpium *Claſſ.* 6. *act.* 5. 33 *L.* 12. *D.* 5. vid. Oldendorp. *Claſſ.* 6. *act.* 7. 34 Ante tempus debitum exigi non poteſt: plus enim etiam vel ſolo tempore petitur, *l.* 22. *ff. mandati.* 35 Id eſt, cauſa militaris annonæ. Nam ita Synopſis Baſil. 7. *tit.* 6. *ex l.* 24. *tit.* 3. *cap.* 1. & ibidem Scholiaſtes, ὁ διατροφὰς ϛρατιώταις τῷ δημοσίῳ χρεωϛῶν &c. Qui alimenta militum fiſco debet, ſi reperiatur inops: debitores ejus (tametſi pro ipſis faciat conditio ante præſtitutum tempus conveniendi ſunt: ut ea, quæ debent, exigantur. Neque obſtat, quod inſtitutionibus de actionibus & aliis libris dicitur, Eum, qui ante diem agat, alterum tantum tempus expectare debere, quando prævenire ſit auſus. Ait enim ἡ ἀνάγκη τῆς διατροφῆς τῶν ϛρατιωτῶν &c. neceſſitas alimentorum militarium facit, ut ante diem exigatur. Eſt & eodem *lib. tit.* 6. *c.* περὶ χρέους &c. Scholiaſtes citans nominatim hanc legem, ubi notat fiſcum poſſe ante tempus exigere inopis ſui debitoris debitorem. *Goth.* Emanuel Coſta *lib.* 2. *ſelectarum c.* 15. Waltherus *l.* 2. *miſcellan. cap.* 37. Mod. 36 Ob inopiam debitoris fiſci ejus debitor in diem ante tempus poteſt conveniri a quo? ab ipſo debitore fiſci. adde ʒ. *quando fiſcus vel privat.* 37 Propter utilitatem publicam, ante tempus agi poteſt. 38 Soluto debito, cautio eſt apud creditorem ſine cauſa: ideoque hac conditione repetitur. vide *l. ult. ſupr. ad exhib. l. ult.* ʒ. *de ſolution.* adde *l.* 52. *ff. de act. empt.* 39 Vid. *l.* 22. ʒ. *de rei vind. l.* 22. §. 2. *ff. de pignorat. act.* 40 *d.* §. 2. Conſumpti fructus condicuntur: extantes vindicantur. 41 Non numeratæ pecuniæ chirographum condicitur. vid. *infr. de non numer. pecun.* 42 *l.* 7. *infr. de non numer. pecun.*

43 *L.* 44. *D.* 7. & 3. *Inſtit.* 14. & 52. *Ecl.* 1. Goth. Ad tit. & ſingulas leges vid. Guid. Pap. *Anſ.* 44 *L.* 4. *Inſt.* 6. 45 *Al.* certe, & ita videtur legiſſe Azo *in ſumma.* 46 Id eſt, creditori Titii: Nec tamen colligas, Mulierem hic pro debitore obligatam fuiſſe. Quæ hic ſolvit mulier non fidejuſſoris nomine, ſed ut quævis ſolvit. Obligatis mulieribus, non pro alio ſolventibus, Velleianum opitulatur. vide *l.* 4. *in fin. l.* 9. *infr. ad SC. Vellejan.* 47 Non tam ſolutionis nomine, quam quaſi pretii loco. *l.* 2. *infr. h. t.* 48 *Al.* debiti actiones mandatas. ita *Haloand.* 49 Vid. *l.* 9. ʒ. *de procur.* Accurſ. *in l.* 1. ʒ. *ne liceat potentioribus patrocinium litigantib. præſtare.* 50 *l.* 23. *ſupr. de procurat. l.* 6. *ff. de tranſact.* 51 *l. pen. in fin. infr. ad SC. Trebell.* 52 Vi hujus mandati, emptrix eſt in rem ſuam procuratrix. Quæritur autem, An mandatum ſit finitum? diſtingue: Si mandator actionis, idemque venditor, heredem habet, mandatario competit actio directa ex ceſſione. Fidem enim venditionis, ab herede mandatoris impleri oportet, ſi heredem non habet (aliud eſt ſi habet. Nam morte mandatarii in rem ſuam mandatum non finitur. *l.* 33. *infr. de donat.*) finitur quidem mandatum, ſed tamen mandatario competit utilis mandati actio, & hæc locum habent in procuratoribus in rem ſuam, puta emptoribus & donatariis. In procuratore negotiorum, aliud. Mortuo enim mandatore, re integra mandatum finitur. vid. Cujac. 2. *obſerv.* 31. adde & ad *Novell.* 134. Zaſ. 2. *Reſp.* 5. 53 Utilis actio quid? & a directa utrum differat: & quomodo, vid. *in l.* 47. *ff. de negot. geſt. l.* 6. *ſupr. de tranſact.* Accurſ. *in l.* 17. *in verb. actione. ſupr. de negot. geſt.* & *l.* 6. *ſupr. ad exhibend.* Forcatulum *Dialog.* 65. *Necyom.* 54 Nomen in dotem dari poteſt. *ut hic.* & *l.* 41. §. 3. *ff. de jure dot. l.* 44. §. 1. *ff. ſolut. matrim.* 55 Cur ita? collige ex his, quæ dixi ad *l.* 1. *ſupr. h. t.* 56 *l.* 19. *ff. h. t.* 57 *l.* 1. *ſupr. h. t. l.* 5. ʒ. *quando fiſc. vel priv. l.* 7. *l.* 8. ʒ. *de hered. vel action. vend.* 58 Speciem ita ponit autor *Synopſ.* 7. *tit.* 6. *ex lib.* 24. *tit.* 3. *c.* 7. debitor fundum locat, & a colono penſiones accipit. Debitoris creditores a colono penſiones ita ſolutas exigere non poſſunt. 59 Hinc etiam colligunt, Vaſallum non cogi ad exſolvenda patroni debita: ſed nec ob æs Principis alienum ſubditum ejus ſiſti: quam ſententiam confirmare lex videtur 7. §. 1. *ff. quod cujusque.* jus tamen repreſſaliarum hæc non admittit, de quo dicam ad *Novell.* 52. adde Peckium *cap.* 4. *de jure ſiſtend. num.* 17. addi poteſt,